



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio III. De ipsa potentia intellectiua concurrente ad visionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

modo, tunc completur potentia cum eius actiuitas augetur, ex parte ipsius obiecti quod representetur nego: ex parte potentie antecedenter ad representationem obiecti concedo. Quam etiam ob causam negabam olim habitus naturales esse solum species impressas, nisi velis etiam sensus externos esse capaces habituum, quod absurdum est.

Solutur
tertia.

Ad tertiam Resp. maiorem, & minorem esse falsas, nam primò plures causæ sæpè concurrunt ad eundem effectum sub eadem formalitate, v.g. quando idem lumen pendet à pluribus luminosis, secundò etiam non est difficile duas hæc assignare formalitates, nam visio vt est vitalis pendet ab intellectu, & vt supernaturalis pendet à lumine.

§. IV.

Quenam sint propria munera luminis gloria.

Differen-
tia lumi-
nis glo-
ria.

A Signato genere huius luminis, sequitur differentia eius propria, quæ petenda sine dubio est ab eo munere quod exercet circa visionem; potest enim esse, vel dispositio materialis ad vñionem intellectus cum essentia diuina vt specie impressa: vel etiam dispositio materialis intellectus, ad visionem ipsam recipiendam: vel denique causa effectiua ipsius visionis vñā cum potentia.

Prima ra-
tio dubi-
tandi.

Ratio dubitandi est primò, quia semper in materia requiritur dispositio proportionata formæ recipiendæ, sed quando intellectus vnitur cum essentia diuina per modum speciei eleuatur ad formam ordinis superioris, ergo ad eam recipiendam disponi debet per lumen.

Secunda
ratio dubi-
tandi.

Secundò, nulla est ratio cur lumen sit dispositio intellectus ad visionem vt actio est, non autem vt est receptio; nam intellectus non est minus improporcionatus ad recipiendam visionem quàm ad eam producendam: ergo si propter illam improporcionem visio vt actio est, exigit lumen vt dispositionem, exigit etiam illud vt receptio est; nam in vtroque munere intellectus est instrumentum, vnde non valet discrimen quod nonnulli afferunt quia intellectus vt agens debet esse perfectior quàm visio, non autem vt recipiens, nam si sit instrumentum non debet esse perfectior.

Tertia ra-
tio dubi-
tandi.

Tertio, si lumen gloriæ agit cum intellectu agere debet vitaliter, & principaliter, hoc autem absurdum est; quia non est aliquid vitale atque adeò est imperfectius visione.

Munus
propriū
luminis
gloriæ.

Dico quartò, lumen gloriæ valdè improprie dicitur dispositio materialis ad receptionem essentia diuinæ vt speciei impressæ, aut etiam ad recipiendam visionem; proprium autem eius munus est simul cum intellectu producere visionem connaturaliter.

Primæ
partis pro-
batio.

Prima pars contra omnes Thomistas quibus accedunt Valentia, Salas, Granadus probatur, quia vbi nulla forma recipitur in subiecto, ibi non datur dispositio subiecti ad formam illam recipiendam; sed essentia diuina non vnitur cum intellectu tanquam forma realis informans intellectum: ergo lumen gloriæ non debet dici dispositio ad illam recipiendam, dicitur tamen improprie dispositio, quatenus est conditio, sine qua, essentia diuina non vniretur intellectui per modum speciei, id est non concurreret cum intellectu ad visionem.

Probatio
secundæ
partis.

Secunda pars contra eosdem Thomistas probatur, quia si requireretur in intellectu dispositio aliqua vt reciperet visionem supernaturalem, requireretur etiam in eodem dispositio ad recipiendum lumen supernaturale, arque ita daretur progressus in infinitum. Concilium autem Viennense quando exigit lumen vt dispositionem, ad visionem, exigit illud

vt dispositionem ad visionem vt actio est, non vt passio, alioqui daretur infinitus progressus.

Ratio ter-
tiæ partis.

Tertia pars communis est inter Theologos, quia habitus supernaturales, idè tantum sunt necessarij, quia potentia operatur cum illis connaturaliter, effectus supernaturales, id est tanquam principium intrinsecum & proportionatum.

Ad primam Resp. verum non esse quod materia exigit dispositionem proportionatam vt recipiat formam supernaturalem, etiam si physice illi vnatur per potentiam obedientialem, alioqui daretur progressus infinitus. Hoc autem esse multò minus verum, quando forma non vnitur physice subiecto, sicut essentia diuina non vnitur physice intellectui, potest ergo requiri lumen vt conditio, non vt dispositio materialis quæ concurrat ad receptionem formæ, atque adeò recipit formam.

Ad secundam Resp. esse disparitatem inter visionem vt actio est, & visionem vt est passio, nam visio vt actio est exigit prodire à principio effectiui connaturaliter operante, cum effectus prodeat à virtute ipsius causæ, potestque visio vt actio est prodire à principio huiusmodi, quin detur progressus infinitus: visio autem vt passio est non exigit recipi in principio connaturaliter recipiente, quia hoc vt dixi est impossibile propter infinitum progressum.

Ad tertiam vt respondeatur videndum est qualis sit influxus luminis simul cum intellectu ad visionem. Quod autem quæri vterius poterat hoc loco de causa subiectiua, & effectiua luminis gloriæ difficultatem non habet: nam subiectum eius sine dubio est non substantia ipsius animæ, sed intellectus in quo, & à quo visio ipsa producitur. Causam verò effectiuam instrumentalem etiam physicam probabilissimè recentiores aliqui meditantur esse ipsam Christi humanitatem, imò & quinque cicatrices vulnerum eius è quibus physice profluit quicquid producitur in viatoribus gratiæ, & quicquid est luminis gloriæ in beatis: quod pie ac ingeniosè tradit Recupitus l. 6. quæst. 19.

SECTIO III.

De ipsa potentia intellectiua concurrente ad visionem.

Expositis duobus principiis visionis, quæ potentiam vitalem complent, venio ad ipsam potentiam, sic instructam, vt ex parte sua lumen habeat intrinsecè inhærens, & ex parte obiecti essentiam ipsam habeat diuinam, præsentem & paratam concurrere ad claram sui visionem. Et primò quaeritur vtrum intellectus ita instructus reuerà producat visionem physice, an verò illam solum producat lumen gloriæ. Secundò vtrum producat visionem principaliter, an verò instrumentaliter: Tertio vtrum intellectus alicuius etiam viatoris Deum aliquando viderit, quod verò quaeri vterius poterat vtrum à perfectiore intellectu, etiam in patria videatur perfectius, dicitur q. 4. cum agam de inæqualitate visionis.

§. I.

Vtrum intellectus instructus lumine gloriæ concurrat immediatè ad visionem simul cum lumine.

Alijs verbis proponi solet hæc controuersia, vtrum lumen gloriæ ita influat in visionem, vt ipsum sit tota ratio proxima illam efficiendi, si nihil intellectus per suam entitatem agat immediatè, sed recipiat tantum lumen quod solum agat, sicut cum aqua calida producit calorem, calor est tota ratio calefaciendi

Sensus
quæstio-
nis.

calefaciendi aquæ, quia illa immediatè tantum recipit calorem, à quo est tota calefactio.

Prima difficultas visio non potest esse ab intellectu naturali.

Ratio ergo duditandi primò est, quia visio quæ secundum totam suam substantiam, & vitalitatem est supernaturalis procedere debet à principio adæquatè supernaturali; visio est adæquatè supernaturalis, intellectus est principium naturale, solum autem lumen est adæquatè supernaturale: ergo visio procedit à solo lumine. Probatum maior, quia si vitalitas secundum se totam supernaturalem penderet à principio partim naturali partim supernaturali, illa vitalitas esset, & non esset supernaturalis quia non est supernaturalis prout pendet à principio naturali. Denique si principium est compositum ex naturali & supernaturali, essentia etiam visionis erit composita ex naturali, & supernaturali quod absurdum est.

Secunda difficultas.

Secundò, si lumen & intellectus simul concurrunt ad eandem visionem, vel ambo concurrunt ad omnes formalitates visionis; nam illa est visio, est vitalis, est supernaturalis: vel non concurrunt, si primum, ergo visio prout est à lumine, formaliter vitalis est, & intellectus, atque ita lumen potest esse causa vitalitatis. Si secundum ergo intellectus non producit hanc vitalitatem supernaturalem; si enim non producit formalitatem supernaturalitatis, non producit etiam entitatem quæ tota est formaliter supernaturalis. Denique vitalitas illa prout est vitalitas huius actus est formaliter supernaturalis, ergo si producit vitalitas illa formalis ab intellectu, etiam producit formalitatem supernaturalitatis.

Conclusio affirmans.

Dico primò, intellectus creatus ita concurret cum lumine gloriæ ad visionem Dei, ut per se ipsum attingat illam immediatè, imò neque diuinitus possit visio fieri sine immediato concursu intellectus videntis Deum.

Prima pars inter omnes Theologos certa est contra Durandum, Ochamum, Marsilium, Gabrielem.

Intellectus effectus attingit visionem.

Ratio est quia omnis intellectus causatur ab ipsa mente, & volitio à voluntate sic enim tradunt communiter Patres cum August. l. 9. de Trinit. c. ultimo. *Ipsa mens quasi parens, & notitia eius quasi proles eius: mens enim cum se cognoscit, notitiam sui gignit, & est parens notitiæ suæ;* idem habet l. 11. c. 2. l. 15. c. 13. 22. 27. Deinde cum Aristotele, Philosophi omnes docent, & omnino constat primò ex actus vitalitate ad quam requiritur influxus potentie vitalis, ut constabit statim, secundo ex libertate actuum voluntatis supernaturalium, ad quam requiritur sine dubio influxus actuum voluntatis, alioqui libertas non esset indifferentia actuum voluntatis in suos actus.

Attingit immediatè.

Secunda pars de influxu immediato intellectus in visionem, est contra plures Thomistas qui volunt solum lumen gloriæ totam esse causam immediatam visionis, quod repugnat S. Thomæ hic art. 5. in corpore ut rectè ostendunt Molina, Vasq. Suarez. Probarique potest efficaciter, quia ex Concilio Tridentino sess. 6. c. 4. constat intellectum, & voluntatem non se habere omnino passivè, recipiendo solum habitus, tanquam aliquid inanime ad actus fidei, charitatis, &c. Sed omnino aliquid agere; atqui eadem est ratio visionis supernaturalis, ergo intellectus immediatè ad eam concurret actiue, & non passivè tantum recipiendo lumen: sed si lumen esset ratio adæquata agendi creatò intellectui, sequeretur quod intellectus passivè solum se haberet recipiendo lumen, sicut cum aqua calida calefacit, ergo lumen non est tota ratio agendi. Deinde omnis actus qui est vita actualis debet procedere à principio viuentem quod se ipsum moueat, sed si solum lumen produ-

cat visionem, viuens non agit in se ipso, nam lumen est qualitas mortua, ergo, &c. Denique sicut visio quia est supernaturalis debet pendere à lumine supernaturali, sic quia est vitalis, & quia est intellectus debet pendere à potentia vitali, & intelligente.

Attingit necessario.

Tertia pars de necessitate absoluta huius influxus est contra Scotum, Durandum aliisque plures qui existimant posse intellectum reddi actu intelligentem per verbum mentis productum à solo Deo tuseque probata est in libris de anima ubi ostendebam quod vita exigit essentialiter actionem physicam principij eius in quo recipitur, quia viuere, est immanenter agere, ideoque verbum mentis eo modo productum in intellectu, à solo lumine, qualitas esset mortua, eodem modo ac si esset in lapide. Quæ autem de effectu formali aduersarij obijciunt, sine quo forma esse non potest in subiecto, solum eo loco est, quia reddere intelligentem non est effectus solius verbi, si tollas actionem procedentem à principio intrinseco.

Lumen eleuat potentiam naturalem.

Ad primam Resp. eo argumento æquè probari, quod visio cum sit vitalis, produci non potest à lumine quod non est vitale, ideoque ad argumentum negatur maior; nam actus adæquatè supernaturalis secundum substantiam, & vitalitatem produci potest à principio naturali eleuato; per alterum principium supernaturale, neque propterea vitalitas illa supernaturalis est simul, & naturalis, sed est adæquatè supernaturalis producta per principium naturale supernaturaliter eleuatum; intellectus enim, & lumen faciunt vnum principium supernaturale, & vitale neque vnum lumi debet seorsim ab altero, totus igitur effectus est supernaturalis, etiam si principium sit compositum ex entitate naturali, & supernaturali, quia entitas naturalis eleuatur per entitatem supernaturalem principij partialis.

Formalitates non sunt aliquid producibile.

Ad secundam Resp. formalitates non esse aliquid producibile in actu, sed resultare tantum ex modo, quo actus procedit à suis causis: ideoque visionem procedere quidem secundum totam suam entitatem cui omnes formalitates identificantur, tum à lumine, tum ab intellectu, sed non procedere ab utroque seorsim sumpto secundum omnes formalitates; nam ut actus procederet à lumine, secundum formalitatem vitalitatis, necesse esset ut actus haberet rationem vitalis, prout est à lumine, quod implicat, quia operatio dicitur vitalis in quantum substantia per eam, se mouet ab intrinseco, postquam adepta est statum connaturalem, lumen autem extrinsecus infusus est ut patet. Vitalitas ergo supernaturalis, secundum formalitatem hanc præcisam vitalitatis, est à solo intellectu, & formalitas supernaturalitatis, est à solo lumine, licet entitas illa vitalis, & supernaturalis sit ab utroque, vnde absolute negari debet hæc propositio, intellectus præcisè sumptus, si non producit formalitatem supernaturalitatis, non producit entitatem supernaturalem vitalitatis, hoc enim est apertè falsum: nam etiam Deus cum voluntate concurret ad actum malum, neque tamen concurret ad malitiam formalem ut sic, quia actus prout est à Deo non habet quod formaliter sit malus. Denique distingui debet hæc propositio: vitalitas huius actus est formaliter supernaturalis, in ratione præcisæ vitalis, nego: prout vitalitas huius actus est supernaturalis concedo, vnde intellectus seorsim sumptus qui est causa vitalitatis formalis non est etiam causa supernaturalitatis formalis.

§. II.

Virum intellectus cum lumine concurrat ad visionem ut causa principalis.

Instru-
mentum.
& causa
principalis

Vix potest esse hoc loco controuersia, nisi de nomine instrumenti, & causæ principalis, nam si semel ex vera philosophia statuas, quid sit instrumentum, tota euanesceat difficultas, de qua, magnâ contentione disputari video. Itaque reiectis varijs sententijs statuebam olim, instrumentum in genere illam causam appellari, quæ concurrat ad effectus sibi non proportionatos, & alteri debitos, quia esse instrumentum est esse virtutem alterius, seu agere alterius nomine. Diuiditur autem instrumentum in naturale quod concurrat ad effectus sibi non debitos, ad quos tamen exigit habere concursum paratum; & obediens quod non exigit habere paratum concursum ad tales effectus. Vnde tota controuersia est, utrum intellectus instructus lumine, producat visionem ut sibi debitam & proportionatam, an verò ut debitam alteri & impropor- tionatam.

Prima du-
bitatio.

Ratio autem dubitandi primò est, intellectus instructus lumine gloriæ non potest esse instrumen- tum visionis Dei, si præter ipsum nulla sit causa principalis videns Deum: sed præter intellectum nulla est causa, quæ principaliter dicatur videre Deum, illa enim non est Deus, qui per hanc actionem non denominatur videns, ergo intellectus lumine gloriæ instructus, est causa principalis visionis. Maior certa est, quia omne instrumentum habet causam principalem sibi correspondentem, ergo si intellectus non est causa principalis videns, debet esse alia causa præter ipsum quæ dicatur videns: vel dicendum est quænam hic sit causa principalis videns & fieri potest argumentum à pari de actu charitatis, nam per eum actum solus homo amat, & meretur, ergo ille est causa principalis merens.

Secunda
dubitatio.

Secundò, visio est essentialiter effectus vitalis, ergo essentialiter exigit causam principalem vitalem, illa non est Deus ut patet, ergo est intellectus. Confirmatur quia intellectus prout est causa efficiens vitalis non est instrumentum, alioqui (ut dixi) responderet ei causa principalis vitalis.

Tertia du-
bitatio.

Tertiò, illud non est instrumentum quod concurrat ad effectum sibi proportionatum & ad quem paratus est illi concursus: sed visio Dei est debita, & proportionata intellectui habenti lumen gloriæ, nam proprium munus habitus supernaturalis est reddere ipsum effectum debitum & connaturalem.

Quarto
dubitatio.

Quartò, illa non est causa instrumentalis tantum quæ nobilior est effectu productò, visio est ignobilior intellectu habente lumen gloriæ, nam illud aggregatum, est supernaturale, & vitale æquè ac visio, ergo intellectus non est causa solum instrumen- talis.

Quinto
dubitatio.

Quintò, si intellectus est instrumentum, prout est causa effectiua visionis, erit etiam instrumentum, prout est eius causa receptiua; consequens non admittitur, &c. Probatur maior idè intellectus producit instrumentaliter, quia producit obediencialiter, sed recipit etiam obediencialiter, ergo recipit instrumentaliter, nam equalis est repugnantia causæ tum effectiue, tum receptiue principalis, & obediencialis quod probò, nam concurrere obediencialiter ad aliquem effectum est ad eum eleuari tanquam ad aliquid improporcionatum, sed quod agit vel recipit aliquid principaliter non

eleuatur tanquam ad aliquid improporcionatum, ergo nullum subiectum habet potentiam receptiuam principalem respectu formæ excedentis, & improporcionatæ, sicut respectu effectus improporcionati agens non potest habere vires actiua principales.

Conclusio

Dico secundò, intellectus instructus lumine gloriæ, quatenus concurrat effectiue ad visionem, est causa solum instrumentalis: quatenus autem subiectiue illam recipit, est causa principalis.

Primam partem de causa effectiua fusè docent Suarez l. 2. c. 10. & 16. l. 6. de gratia c. 7. & sæpe alibi, Vasquez, Fasol. Henriq. & alij contra plures Thomistas quibus adherent Arrub. Herice, Becan. Salas, contra quos.

Prima
partis pro-
batio.

Ratio est primò, quia quoties aliqua causa est ignobilior effectu quem producit, est causa instrumen- talis, non autem principalis, sed aggregatum illud ex intellectu & lumine gloriæ ignobilius est quàm visio Dei, ergo illud aggregatum est causa solum instrumentalis, maiorem nemo negat philosophorum, quia quamuis contingere sæpe possit, ut instrumen- tum sit aliquid nobilior effectu quem producit obediencialiter, ut si Angelus produceret fornicam, tamen fatentur omnes quod causa ignobilior effectu productò, nunquam principalis dici potest; quia effectus nobilior nunquam potest esse proportionatus, & debitus causæ minus nobili. Minor ergo probatur quia entitas adequatè vitalis, & adequatè supernaturalis est nobilior eà entitate, quæ non est vitalis & supernaturalis nisi solum inadèquatè; visio est adequatè vitalis, & adequatè supernaturalis: intellectus autem cum lumine non est vitalis & supernaturalis nisi solum inadèquatè, igitur visio nobilior est eo aggregato.

Confirmatur euidenter, nam id quod est altero ignobilius, non potest fieri eo nobilius per accessum alterius quod est etiam eo ignobilius, intellectus est ignobilior visione, ergo non potest fieri eà nobilior per accessum alterius quod sit etiam ignobilius visione; lumen gloriæ ignobilius est visione, nam visio est vitalis, lumen autem est qualitas mortua. Deinde constat etiam ex philosophia quod omnes habitus instrumenta sunt respectu actuum quos produ- cunt; nam actus causæ sunt principales habi- tum atque adèd illis nobiliores, ergo habitus sunt causæ instrumentales actuum & illis ignobiliores, quod etiam in habitibus supernaturalibus eodem modo verum est qui sic producant actus, ut ab actibus etiam producantur saltem moraliter.

Denique, potentia obediencialis actiua semper est instrumentalis cum producat effectum improporcionatum, & alteri debitum à quo eleuatur, sed intellectus etiam instructus lumine, obediencialiter agit per eleuationem; agit enim per suam entitatem intrinsecam & naturalem, ergo agit instrumen- taliter.

Secundam partem de causa subiectiua, video etiam à paucis negari, & ratio euident est quia licet potentia obediencialis actiua sit necessariò instrumen- talis, tamen potentia obediencialis passiua est necessariò principalis, & ratio disparitatis est duplex. Prima quod causa principalis receptiua esse potest ignobilior effectu, alioqui materia recipere principa- liter non posset formam quæ est ignobilior: causa verò effectiua si sit principalis non potest esse igno- bilior effectu, ut omnes fatentur quia effectus ab ea extrahitur, atque adèd debet in ea contineri. Altera disparitatis ratio est quia potentia obediencialis actiua esse potest instrumentalis si possit agere tan- quam virtus alterius cui ut causæ principalis actiue

Ratio se-
cunda par-
tis.

tribui

tribui posset actio, causa verò subiectiua obedientialis non potest esse instrumentum, si non possit recipere tanquam virtus vilius alterius causae principalis receptiuae; nam Deus eleuans causam receptiuam non recipit, sicut agit quando eleuat causam actiuam.

Vnde argumentor efficaciter: illa non est causa instrumentalis quatenus receptiua quae recipit sola, visionem, sed intellectus solus recipit visionem, non autem Deus, ergo intellectus non est causa instrumentalis receptiua. Neque dicas Deum esse causam principalem huius receptionis in genere causae efficientis, contra enim arguo, nulla causa est instrumentalis in eo genere, in quo non respondet ei vlla causa principalis, sed nulla causa principalis respondet in genere subiecti, causae subiectiuae: ergo causa illa subiectiua non potest esse instrumentalis in genere causa subiectiuae sicut enim instrumento effectiuo respondere debet causa principalis effectiua, ita instrumento receptiuo, debet respondere causa receptiua principalis. Denique vt intellectus Deum aliquo modo videat principaliter, exigitur, vt sit causa principalis visionis, vel vt agens, vel vt recipiens, non causat principaliter vt agens, ergo vt recipiens.

Solutio
prima dubitationis.

Ad primam Resp. Deum esse causam principalem visionis vt actio est, sed nullo tamen modo, posse dici videntem; visio enim principaliter denominat causam in qua est, non autem causam à qua est, idè intellectus solus denominatur videns, quamuis sit tantum principaliter videns, vt est principium receptiuum, non prout est principium productiuum. Vnde ad argumentum, distinguitur maior, intellectus non est instrumentum, si prater ipsum nulla sit causa principalis videns, prout videns significat principium visionis tum actiuum, tum receptiuum nego: prout significat principium receptiuum visionis concedo, nam intellectus instrumentum est quatenus efficit visionem, principalis est causa quatenus recipit, non est enim necesse vt detur vna tantum causa principalis visionis secundum totum quod visio dicit. Ad probationem distinguo hanc propositionem, omne instrumentum habet causam principalem sibi correspondentem, in eo genere in quo est instrumentum concedo, in eo genere in quo non est instrumentum nego, cum igitur intellectus videns, sit instrumentum vt agit, non vt recipit, respondet ei causa principalis vt agentis, non vt recipientis, eademque ratio est de actu meritorio, in quo voluntas sola dicitur merens, quia licet agat instrumentaliter, recipit tamen principaliter, quod sufficit vt sola dicatur mereri.

Solutio
secunda.

Ad secundam Resp. distinguendo antecedens visio est essentialiter effectus vitalis praecise vt pendet à causa effectiua, siue praecise vt actio est nego: vt pendet à causa tum effectiua tum receptiua, siue vt est effectus receptus concedo. Satis ergo ad eam vitalitatem est quod pendeat à causa effectiua instrumentali, & passiuā principali. Ad confirmationem distinguo eodem modo, intellectus vt est causa efficiens vitalis non est instrumentum receptiuum concedo, effectiuum nego id est non est instrumentum visionis vt passio est, sed tantum vt actio est.

Solutio
tertia.

Ad tertiam Respond. nullum esse instrumentum naturale quod non habeat paratum concursum ad effectum quem producit, sed in eo vt dixi sitam esse rationem instrumenti quod producat aliquid improprietatum & alteri debitum. Satis autem ostensum est, visionem esse improprietatam intellectui etiam habenti lumen gloriae, & esse debitam Deo vt agenti principali, proprium munus habituum supernaturalium est reddere ipsum effectum connatu-

Tom. I.

raliter debitum tanquam instrumento, non tanquam principali agenti.

Ad quartam Resp. probatum esse quod illud aggregatum ex intellectu, & lumine gloriae cum sit vitale, & supernaturale solum inadaquate, simpliciter est ignobilius visione quae adaequate vitalis est, & supernaturalis.

Solutio
quarta.

Ad quintam satis allata videtur disparitas potentiae obedientialis actiuae, & passiuae, primam dixi esse necessario instrumentalem eo quod proportionem non habeat cum effectu ad quem supra suam vim eleuatur; potentiam passiuam (quantumvis sit improprietata & eleuetur) negavi esse instrumentalem, quia esse potest principalis & imperfectior forma quam recipit, & quia non respondet ei causa principalis receptiua.

Solutio
quinta.

Supererat hic quod proposueram tertio loco dicere, vtum intellectus aliquis hominis viatoris aliquando viderit Deum, beatus & solus potens, rex regum & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem & lucem habitat inaccessibilem, quem nemo hominum vidit neque videre potest. Cui honor & imperium sempiternum amen, verba sunt Apostoli 1. ad Tymotheum c. 6. vbi quaestionem videtur dissolvere, quae positua magis esse videtur quam scholastica. In ea verò probabilissime philosophari videntur illi qui aiunt. Primò Beatae Virgini pro certo concessum esse hoc priuilegium vt Deum in vita viderit aliquoties, v. g. in Conceptione Verbi, in eius Natiuitate, in Resurrectione, quod latissime probatum inuenies apud Recupitum l. 6. q. 14. c. 1. & 2. vbi decem habet eximias rationes: Secundò Adae, Moyfi & Paulo, nunquam in via concessum esse vt viderent Deum intuitiue, egregie probat idem author ibidem c. 3. 4. 5.

QVÆSTIO III.

De obiecto visionis Dei. Art. 8. 9. 10.

Hactenus beatæ huius visionis existentiam, & principia extrinseca indagauimus, nunc maior difficultas est circa obiectum illud quod proxime terminat visionem Dei, seu quid videant in Deo, videntes Deum facie ad faciem, quia verò aliud dicitur obiectum primarium aliud secundarium huius visionis, de vtroque nobis accurate dicendum est.

SECTIO I.

De obiecto primario visionis Dei.

Seu quomodo videantur ea quae sunt in Deo formaliter.

Certum est primò obiectum primarium huius visionis illud appellari, quod ratione sui, & non ratione alterius videtur: secundarium illud quod ratione alterius videtur, seu mediante altero, in quo continetur, differunt hæc obiecta, quod primarium simul sit obiectum materiale, & formale, id est id quod videtur, & ratio videndi. Obiectum autem secundarium non sit nisi obiectum materiale, vnde sequitur obiectum secundarium semper videri mediante alio, quod sit obiectum formale, & medium etiam prius cognitum in quo videatur vt postea dicetur.

Obiectum
primarium.

Certum est secundò totum illud esse formaliter in Deo, quod secundum propriam suam rationem, & definitionem, intrinsecum est Deo, qualia sunt attributa omnia & personalitates. Eminenter illud quod secundum propriam suam rationem, & definitionem est extrinsecum Deo, intrinsecum autem secundum aliquid aequiualens & nobilius cuiusmo-

Esse in
Deo formaliter.